

758y
1236, 13
DISSERTATIO JVRIDICA INAVGVRALIS
DE
**GENVINO SENSU
LEGIS CXX. DE
VERB. SIGN.**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
WILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIÆ JULIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIE
WESTPHALIÆ &c. COMITE SAYNAE ET
WITGENSTEINII RELIQUA
P R A E S I D E
D. JO. FRIDER. HERTELIO
ANTECESSORE SALANO
CURRIÆ PROVINCIALIS FACULTATIS JVRIDICÆ ET
SCABINATVS ADSESSORE ORDINARIO
PRO GRADV DOCTORATVS
SVMMISQUE IN VTROQVE JVRE HONORIBVS ET PRI-
VILEGIIS RITE CONSEQUENDIS
ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
IO. CAROLVS LANGGVTHIVS
HILPERH. FRANCVS
AD DIEM XXVIII. MARTII CIOIO CCXXXVI.
HORA LOCOQVE CONSVENTO.
JENÆ, LITTERIS BVCHIANIS.

DISSERTATIO IURIDICA IN AGRARIIS
DE

GENUINO SENIA
IURE CX. DE
ALTB. RER.

RECTORIE MAGNIFICENTISSIMO
SOCIETATIS AMSTERDAMENSIS AD MONUMEN-

ALTHB. MONUMENRIOO

DLIO. LUDV. HERRMATEO

PROGRADA DOCTORATIS

CATHARINA IN AVTOGRAPHIIS CONSERVANDIS

LOGARITMIS LAMGOMATHIAS

ALBINUS MATHIAS

ACAD. LOGARITMIS CONSERVANDIS

ALBINUS MATHIAS

ACAD. LOGARITMIS CONSERVANDIS

ALBINUS MATHIAS

A SON
ALTESSE SERENISSIME
MONSEIGNEVR
ERNEST AVGVSTE,
DVC DE SAXE, DE JVLIERS, DE CLEVE
ET DE BERG, COMME AVSSI D'ANGARIE ET
DE WESTPHALIE, LANDGRAVE DE THVRIN-
GVE, MARGRAVE DE MISNIE, COMTE ET
PRINCE DE HENNEBERG, SEIGNEVR DE RA-
VENSTEIN, GENERAL DE LA CAVALLERIE
DE S. M. IMPERIALE DE MEME QVE CO-
LONEL D'VN REGIMENT DE CVI-
RASSIERS ET D'VN AVTRE
D'INFANTERIE.

A SON

ALTÈSE SERINISIME

MONATIGNEAR

BRINTST VAGASTH

DAC DE SAXE DE LATHIERS DE CLEAE
ET DE AULDE COMME AVESI DANOGAER ET
DE ASTRIANTE I VINCIVAE DE THAIDI
CAR MAGGRUA DE MIRNIE COMPTA
PRINCE DE HENNAEGER SIRIDYAK DE RIA
MUSIEN GINNAZ DE LA CAVALIERE
D'EAU IMPERIALE DE MELIN OAT CO
LONI DANREGIMENT DE CAT
LA VASIER ET DAN ALTE
D'INVENTERIE

MONSEIGNEVR,

me persuader que VOTRE
ALTESSE SERENIS-
SIME ne desaprouvera
point la hardiesse , que je
prens de LVI presenter les
premiers fruits de mon tra-
vail & de mes etudes. Je ne me serais point
hazardé , de LVI offrir une dissertation ,



E
me persuade, que VOTRE
ALTESSE SERENIS-
SIME ne desaprouvera
point la hardiesse , que je
prens de LVI presenter les
premiers fruits de mon tra-
vail & de mes etudes. Je ne me serais point
hazardé , de LVI offrir une dissertation ,
qui ,

qui, loin d'epuiser son sujet, ne fait, que
l'effleurer, si de fortes raisons ne m'y
avoient determiné. Les graces, MON-
SEIGNEVR, qu'il VOVS a plû repandre
depuis plusieurs années consecutives sur
mon pere, & aux quelles par vne suite
bien naturelle j'ai eu part, aussi bien que
celles, dont j'ai eté comblé moi même,
exigent un aveu public des sentimens de
reconnoissance, dont je me sens penetré.
Il est vrai, TRESGRACIEVX PRIN-
CE, que s'il falloit que ce que je rends fût
proportioné a ce que j'ai recu, il faudroit
quelque chose de plus pretieux, de plus
achevé & de plus accompli, que ne le sont
ces theses. Mais les grands Princes, tout
bien partagés qu'ils soient de la fortune, ont
cela de moins que le reste des hommes,
qu'on ne peut jamais leur rendre le bien,
qu'ils

qu'ils nous font. Qu'ils donnent aux uns
les honneurs , qu'ils distribuent les richesses
aux autres , en vain s'attendroit - ils a avoir
Leur tour. Tout ce que peuvent faire ceux ,
qui ont eu part a Leurs graces , c'est de payer
de reconnoissance les bienfaits qu'ils en ont
reçus . V. A. S. trouvera bon , que je LVI
prouve cette verité par mon exemple . Pour
des bienfaits innombrables , j'ose LVI offrir
une dissertation Academique ouvrage sorti
de la plume d'un novice dans les sciences
du Barreau . Je l'offre même sans crainte
de deplaire , car il ne depend plus de nous
d'etre timide , quand il s'agit de satisfaire au
devoir & a l'obligation . Et un PRINCE aussi
éclairé & a la penetration du quel rien
n'échape ne dedaignera jamais un présent
fait par un de ses sujets pour etaler l'amour
& la vénération , dont il est animé . Daignez ,
donc ,


donc, MONSIEGNVR, jeter un regard gracieux sur les feuilles que j'ai l'honneur de V OVS presenter. Daignez accorder la continuation de VOS graces a celui, qui est avec plus de respect & plus de devoûment qu'aucun homme du monde

**MONSEIGNEVR
DE VOTRE ALTESSE
SERENISSIME**

a Jene le XXVIII. de Mars
**Ci
XXX CC CI**

*le tres humble tres obeissant &
tres obligé serviteur*

JEAN CHARL LANGGOVT.



CAP. I.
DE INSCRIPTIONE

L. CXX. de V. S.

Pomponius Lib. V. ad Quintum Mucium.

Verbis Legis XII. Tabularum his: PATER FAMILIAS VTI LEGASIT SUPER FAMILIAE, PECUNIAE TUTELAEVE REI SVÆ ITA JVS ESTO, latissima potestas tributa videtur & heredes instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constitundi. Sed id coangustatum est vel Legum auctoritate vel interpretatione jura constituentium.

Ita Legem XII. Tabularum, cuius hic uti & alibi membra a suo velut corpore avulsa reperies, in integrum restituen-

A

testiguen-

restituendam puto ex *Cie.* II. de invent. cap. 50. auctore
ad Herennium Lib. I. cap. 13. Pr. insit. de L. Falcid. Nov.
XXII. cap. 2. L. 53. ff. de Verb. sign. Vlp. in *Fragm.* Tit. XI.

Ad nostrum enim quod attinet Pomponium, facile patet, initium si consideres hujus Legis, ei animum haud fuisse integrum memorandi Legem XII. Tabularum, verum ea tantum verba, quibus significaret latissimam Legibus XII. Tab. tributam esse testandi facultatem. Totam exhibere Legem hancce Decemviralem multi & haud exigui quidem nominis viri naviter operam dede-
runt, inter quos haud immerito numeres Antonium Au-
gustinum, Jacobum Gotfredum & Cl. Burmannum ad Petro-
nium pag. 664, qualem vero hac de re apud eruditos inie-
rint gratiam, infra dicendi locus erit. Hoc tantum addam, me in nullorum ivisse sententiam, sed eandem sumfisse libertatem in restituenda hac lege, qua alii utun-
tur, qui jus suffragii in senatu cruditorum habere sibi vi-
dentur. Ordine igitur ut singula persequar, id mihi ne-
gotii potissimum dari puto, Inscriptionem prius leviter
ut attingam, quam ad ipsam legem proprius accedam. Illius enim accuratior inspectio quantam jurisprudentiae
rite intelligendae opem ferat, Viri Amplissimi Brenck-
mannus & Reinoldus uterque de Legum inscriptionibus satis
evictum dederunt. Non enim oportere jus civile ca-
lumniari, sed qua mente quid diceretur admiramadvertere
convenire, eleganter inquit Paulus in L. 19. ff. ad exhib.
Conferenda sunt itaque inter se Leges, iisque collatis vi-
tendum est demum, qua de re Juris Consultus in hoc
vel

vel illo libro tractarit. Aliter si feceris instabilis erit gradus, ubicunque pedem in juris prudentia ponere velis & dubia sine duce via, inquam casu velut delatus, quo ulterius sit progrediendum, ignores. Nam tota mente Juris Consulti non perspecta, particulari tantum ejus considerare valde incivile est. *Forner. Rer. quot. Lib. III. cap. 13.* Hinc debentur Julianiano hac in re, non ex formula, sed ex bono & æquo conceptæ gratiæ, quod nomina Juris consultorum & libros ex quibus quæque Lex in ff. relata posteritati servaverit, ut aliquid superficit elegantiae, qua se commendare queant, ea fragmenta quæ tanquam ex naufragio collectæ Tabulæ videntur. Sed quid Iliada post Homerum? ipse Justinianus non alium in finem numeros librorum per consequentias literarum non per sigla manifestari jussit *L. 2. §. 22. C. de* *vet. J. E.* Periculum itaque faciam in præsenti lege, eamque totam prout ætas & secta meorum temporum fert, explicabo.

POMPONIVS prænomine SEXTVS. Magna & frequens est eruditii senatus secessio de legis nostræ auctore Pomponio, adeo ut vel pedarii in diversa abeant. Multi multa faciunt verba de ejus familia, num ex gente patricia, an plebeja ortus fuerit. Alii de Philosophia, moribus & secta impense disputant. Pauci non parum convenientiunt quam tres convivæ de numero Pomponiorum. Plures uno fuisse ejusdem prænominis egregie doceo inscriptio apud Gruter. Edition. Græv. Tom. II. pag. DCCC XVII.

A 2

DIS.

(4)

DIS. MANIBVS.

SEX. POMPONIVS.

ELAINVS.

POMPONIÆ. DONATÆ.

CONJVGI.

CARISSIMÆ. FECIT.

ET. SIBI.

P. Q. EORVM.

Hic autem Sex. Pomponius utrum Pater fuerit nostri Pomponii ut sibi vult Anton. *Augustinus de Nomin. propri.*
ff. pag. 92. & 235. V. C. Ever. Otto pref. Tom. I. Thes. jur.
an non, ad instituti nostri rationem haud pertinet. Alium
exhibit idem *Gruter. p. LXVII.*

DEDICAVERVNT

IDIB. OCTOBR.

CN. POMPEJO FEROCE

LICINIANO. COSS.

C. POMPONIO RVFO.

Tribunum Plebis habet *Pigbius in ann. Tom. II. pag. 102.*
& 114. Oratorem & jurisperitum magno cum titulo com-
memorat Tullius Lib. I. de orat. De nomine clara res est,
de scriptis autem & an ex iis in ff. quædam relata sint,
velut indictum silentium. Invita sane jurisprudentia
vocatur in partes L. 41. ff. de Haered. instit. ejus enim
inscriptio & verba ultima adeo dubia sunt, ut si persen-
tentias rogandum esset, sine dubio pronunciaretur, NON
LIQVERE. Pseudoza, Charondas & Haloander pro ver-
bis ut refert Sextus Pomponius legunt Sextus Pompejus,
qui

qui Cic. Lib. I. de Orat. teste inter majorum gentium Juris Consultos locum tenuit. Sive denique illa lex Juliani potius sit quam Pomponii, sive postrema verba a studioso aliquo juris in margine notata & dein incuria librariorum, aut scribarum in ipsam influxerint legem, tam ex ea, tantum abest, ut aliquid definiri possit, cum nequidem omnes idem sentiant de Imperatore, cuius mentio in principio d. l. fit, alii Tiberium, alii Titum Vespasianum, alii D. Pium substituunt. Interim hanc item meam non facio, sed de ejus etate quædam quasi aliud agens dixisse sufficiat. Hinc paucis dabo, quæ mihi sit sententia in tantis fluctibus eorum, qui vitis Juris Consultorum scribendis operam dederunt. Argumenta illorum huc transcribam, ne verbosus sim, multo minus ea diluam, ne aut libidinis refutandi, aut consilii temporis perdendi me reum quis postuleret. Res suas cuique habere jubeo, meas, si quis desideret, exponam. Multa sunt, quæ me impulerunt ad assignanda Pomponio nostro Hadriani tempora, licet non negem eum sequentium pariter Imperatorum imperia attigisse: Certe librum Enchiridij sui singularem sub Hadriano constitutum esse, in propinqua veritatis parte positum puto, quod & penitus insipienti legem 2. ff. d. O. J. eo magis obvium erit, cum in d. l. §. 47. dicat D. Augustum constituisse, ut ex ejus auctoritate responderent, qui de jure consulentibus operam dare vellent, Hadrianum autem, quem non Divum ut Augustum, sed optimum Principem, ideo quod adhuc in vivis esset, appellavit,

A 3

recripsit-

rescripsisse, cum ab eo viri prætorii peterent, ut sibi li-
ceret respondere, hoc non peti, sed præstari solere. Nec
luminibus nostris officit, quod idem Pomponius in L.
22. ff. de Us. & Habit. Hadrianum Divum appellat,
scripsit enim libros suos ad Quintum Mucium, ut inscri-
ptio docet, cum jam Hadrianus eo abierat, unde quem-
quam redire negant omnes. Hujus Imperatoris enim
ætate admodum Juvenem fuisse crediderim, vitamque
eius adolescentiorem in tempora Antonini Pii incidisse.
Cujus rei ipse fidem facit, cum in enumerandis præto-
ribus omiserit prætorem tutelarem, de cuius officio Pau-
lus & Ulpianus libros singulares scripserunt, quem ideo
ille judicem tutelarem appellat *Paulus L. V. sentent. Tit.*
XVI §. 2. nec ejus memoriam damnasset, nisi Marcus
Antoninus, sub quo vivere fatum mortalitatis ei haud
permisit, teste Capitolino in ejus vita c. X. cum pri-
mus constituisset. Præterea §. ult. L. 2. de O. J. aperte
docet, quam insigniter fallantur ii, qui sub Hadriano
eum vixisse negant, nam circa successionem prudentum
occupatus ultra Aburnum vel Aburnium L. 78. §. 6. de
Leg. III. Valentem, Tuscanum & Salvium Julianum
progressus non est, qui omnes sub Trajano & Hadriano
ævum duxerunt. Ad Aburnum Valentem extat epi-
stola Plinii L. 4. ep. 24. qui sub Trajano vixit, diver-
sus autem est ab eo quem Capitonius in D. Pio c. 12.
Salvium Valentem vocat, ut & in L. 7. §. 2. de Accus.
ubi rescripsit D. Pius Salvio Valenti. Tuscanus quem
Tuscanum, aut Volusium Macianum sed perperam vo-
lunt

lunt Anton. Auguſtinus de Nominibus propr. ff. Menagiis in
amenit. jur. pag. m. 30. add. Reinold. ad Mercer. pag. 16. Ha-
driani quoque tempora vidit. Et auctores licet de eo
ne ullum quidem verbum faciant, hoc tamen vel exinde
patet, quod libri singularis Enchiridii author eum cum
Juliano conjunerit, qui dubio procul sub Hadriano vi-
tam vixit Spartian. in Hadrian. cap. 18. Consulque fuit
sub eo Imperatore cum Torquato Onuphr. Pavin.
CC. XXXI.

C. BELLICVS. C. F. TORQVA. M. SALVIVS JVLIANVS

TVS II
 Porro ipse Julianus utitur auctoritate Pomponii in L.
 63. §. 9. ff. pro socio, ex qua aperte constat, eum Juliano
~~ουνχεον~~ fuisse. Verum deprehendo hic medicas Ber-
 trandi, in libro, quem inscripsit de Juris peritis, manus,
 qui ita emendat: Et ait Sextus Pomponius Julianum re-
 ferre Sabinum respondentem &c. Sed veniam meretur
 haec chirurgia, quam non dolus, sed necessitatis Lex ei
 extorsit, ne hic nimirum locus suæ obstaret sententiae.
 Omnes sane quos vidi præter Holoandrum, qui legit
 Pædius, Codices, ~~ηγεναν~~ interdicunt, Vulgata, Alciati &
 Charondæ edit. constanter legunt in d. l. & ait Julia-
 nus Sextum Pomponium referre Sabinum responden-
 tem &c. Si cogitasset auctor ille de Juris peritis non Ju-
 lianum, sed Pomponium ad Sabinum scripsisse *Wieling.*
in Jurisprud. ref. pag. XC. ab emendatione abstinuisset.
 Jam refellere possem *Petavium in rationar. temp. Grotium in*
vitis Juris Consult. Bertrandum aliosque qui loco *Lampridii*

C.

C. LVIII. in Alexandro corrupto decepti, Pomponium ad Alexandri tempora retulerunt, sed alienum puto, cum alii jam otium ab hac te mihi fecerint *Menag. in amoen. jur. c. 23. Otto in vita Papini anni p. 223.* Liceat tantum mihi addere elegantem conjecturam Gurthrii L. i. c. 18. de offic. dom. Aug. ubi putat, legisse hominem quendam temporum ignarum apud eundem *Lampridium c. 18.* haec verba de Alexandre Severo: *Leges de jure populi & fisci, moderatas & infinitas sanxit neque ullam constitutionem sancvit sine viginti juris peritis & doctissimis ac sapientibus viris.* Hunc autem numerum vicenarium ut integrum haberet, aliquot eum Juris consultos ex prioribus temporibus adjecisse.

LIB. V. Index Juris consultorum Florentinus libros τριακοντα εννεα exhibet, ad Quintum Mucium. Lex nostra ex eorum V. desumpta est, hinc conferri cum ea meretur propter inscriptionem L. 10. de aur. arg. L. 22. ff. quando dies leg. ex quarum collatione apparet, Pomponium hoc libro legatorum materiam tractasse, ut infra fusius disputabitur.

AD QVINTVM MUCIVM. Haec verba Pacius & Pseudo nota hisce ||| incluserunt, ideo dubium videtur an Pandectae Florentini ea agnoscant. Sed salva res est cum saepius fieri soleat, ut his signis notentur, quæ in Digestis Haloandrinis absunt, ut more suo eruditus monet *Ampliss. Bynkersh. in opus. ad Leg. Lecta c. XI.* Cæterum hoc significatur Pomponium notas scripsisse ad Q. Mucii libros, ut patet ex Lege 10. de aur. arg. L. 51. de Donat. inter Vir. & V. illud quoque notandum quod

Augur

Augustei scriptores & qui initio seculi post Christum natum tertii aut circiter floruerunt semper dixerint *apud aliquem notare Briff de V. S. v. apud*; mutatum autem hoc est tempore Justiniani, ut nusquam *apud* dictum sit, nisi verba adducantur Juris Consult. veteris alterius notas laudantis, ejusmodi enim extant capita in ff. quæ Tribonianus non ex ipso fragmenti auctore, sed ex alio Juris consulto illud adducent exscriptis e. g. L. 80. de Leg. I. l. 5. de hæred. inst. l. 20. de Condit. & Dem. rationem reddit l. 2. §. 42. §. 45. de O. J. l. 3. §. 17. C. de Veter. J. E. Anton. Augustinus emend. & Opin. l. 1. c. 6. in primis vide V. C. Branco in dissertatione de Jul. Paulo scripsit itaque notas ad Q. Mucii libros, uti & ad Aristonem l. 18. de donat. & ad Sabinum, ad quem scripsit, non ut Eckius vult in ff. p. 46. libros triginta sex, sed triginta septem, ut patet ex inscriptione l. 5. de Captiv.

CAP. II.

DE GENVINIS VERBIS
LEGIS XII. TABVLARVM.

PATER FAMILIAS. Ita auctor ad Herennium l. 1. c. 13.
Cic. II. de invent. c. 50. & Illianus Tit. XI. Hæc vox varius habet significatus, aut enim Dominum *Cic. pro Rosio c. 41.* aut eum qui sui est potestatis l. 4. ff. de His qui sui vel alieni jur. & patria potestate liberatus,
B ipse

ipse in Domo dominum habet l. 193. de V. S. Hinc vocatur Princeps familiae l. 196. de V. S. & dux generis *Iesus in voce Familia*. Dictum vero ita putat *Isidorus L. IX.* origine c. V. p. m. 1054. patrem familias, quod omnibus in familia sua positis servis tanquam pater filii patria dilectione consulit servorumque conditionem a filiorum affectu non discernit sed quasi unum membrum amplectitur. Quicquid sit, hoc loco denotat civem Romanum pro ut occurrit *apud Svetonium in Dom. c. X. & in Aug. c. LIX.* Nonnulli patrum familiarium testamento caverunt, ut ab heredibus suis prelato viciime titulo in capitolium ducerentur. Nec de eo disputandum est cum per vulgatares sit, testamenti factionem proprium Quiritium jus fuisse. Ideo *Cicero pro Archia* probaturus archiam esse Civem Romanum eo probarit, quod Archias testamentum fecerit Legibus romanis. *Varro de Re Rust. l. II. c. 10.* Peregrinus enim & qui civitate romana donatus haud erat testamentum confiscere non poterat l. 8. §. 1. 2. 3. ff. qui test. facere l. 1. §. 2. de Leg. 3. Verum quid est quod Pomponius & cum eo Justinianus pr. Inst. de Leg. Falcid. N. XXII. dicant. VTI QVIS QVE non vero VTI PATER FAMILIAS? An forte in L. XII. Tab. ita scriptum fuisse inde putas? Minime gentium. Justinianus enim & Pomponius parum tolliti fuerunt de integris verbis, quin potius ea tantum allegarunt, quæ ad instituti rationem pertinerent & demonstrandæ testandi libertati inservirent. Arcent verborum, ut quisque, nimia generalitas ea a Tabulis. Hoc enim Jure utimur, ut furiosus non possit disponere

de

de rebus suis post fata mortalitatis. Nam cum testamentum sit mentis nostræ testatio & speculum vitæ morumque ut *Plinius* notavit *l. VIII. ep. 18.* merito arcetur ab ultimo elogio confiendo, cum nulla ejus sit ratio, qui perpetua mentis alienatione intellectu caret *l. 14. ff.* de off. præf. nec ejusmodi homini concessum sit sapientum iura pertractare *L. ult. C. de test. mil.* In eo enim, qui testatur, ejus temporis quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigitur ut *Labeo* inquit *L. 1.* posterior: a *Javoleno* epist. *l. 2. ff.* qui test. fac. poss. Comitem furioso demus impuberem nimis rum in quo secundum stoicos non dum addelevit mens *Plutarch. l. V. de repugn. stoic. c. 24.* nec satis stabilis est *l. ult. C. de test. mil. l. 5. ff.* qui test. fac. poss. ideo nullum eorum judicium dicitur in §. 1. Quibus non est permitt. test. non quasi omni plane ratione & intellectu careant sed quod minus sufficiens & non dum plenum sit eorum animi judicium *Vipiano* interprete *Tit. de Testam. §. 12.* & ibi *Cl. Schultingio p. m. 630.* In eundem censem haud immerito quis retulerit feminas, (nam sub quisque uti *Pomponius* in *d. l. CXX. de V. S.* inquit continetur etiam queque *l. 1. de V. S. l. 45. de Leg. 2. l. 81. de leg. 3. l. 159. pr. de V. S.*) quæ nullam ne privatam quidem rem gerere potuerunt sine tuteore auctore propter consilii infirmitatem *Liv. l. 34. c. 2.* Quia de re *Cicero pro Muræna c. XXVII.* inquit. mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in Tutorum potestate esse voluerunt. Adeo haec vera sunt,

B 2

ut

ut apud plerasque gentes mulieres remotae fuerint ab officiis civilibus, cura potius rei domesticæ iis demandata. De Romanis clara res est l. 2. ff. de R. J. cum qua conferri meretur propter inscriptionem l. 20. ff. qui test. fac. poss. unde adparet feminas ne quidem testes esse potuisse in testamento. Optime græci ο κολυμβεος διατιθεσθαι ετε μαρτυρει εν διαθηκη. i. e. qui prohibitetur testari nec testis esse potest in testamento 35. Baf. Tit. 1. nisi Lege publica iis hoc permisum fuerit ut de Gaja Tarratia legitur apud Gellium L. VI. c. VII. aut Virgo festalis fuerit Gell. L. 1. c. XII. aut jus trium liberorum habuerit, tunc enim liberabantur a perpetua tutela & poterant διαθεσθαι την ταῦλα πρεττειν αγεν προστατει διαγνωσαι i. e. testari & alia sine tutoris auctoritate agere, Teste Plutarcho in vita Numæ qui per alia non obscure intelligit quæ Vlpianus Tit. XI. §. pen. exhibet veluti lege aut legitimo judicio agere: se obligare: civile negotium gerere, libertæ suæ permittere in contubernio alieni sevi morari: mancipi alienare ut Irene apud Gruter. oper. inscript. p. m. LXXXI.

AIRENEIVS LIBERORVM.
HABENS. M. LICINIO
TIMO THEO. DONATIONIS
MANCIPATIONISQUE CAUSA
H - S. N. L. MANCIPIO DEDIT.

Omniaque sine Tutoris auctoritate agere. Cæterum vero nec testari, nec testes esse in Codicillis L. 3. C. Th. de Testam. & ibi Jac. Gothofred. l. fin. §. ult. de Codic.

dic. ne dum in testamentis esse poterant. Ad hæc pri-
mis temporibus testamenta in Comitiis præsente juben-
teque populo condebantur, a quibus tamen aequæ con-
siliæ infirmitas ac sexus imbecillitas mulieres procul ab-
esse jussit. Verum noviorem deprehendis jurispruden-
tiæ apud Vlpian. Tit. XX. §. pen. qui refert, feminas
sui juris tutore tamen auctore testari posse. Aliam hic
vides Philosophiam & quidem tempore incerto natam,
quamquam Ciceronis ætate frequentata fuerit c. 6. pro
Cæcin. Vnde verisimile mihi videtur originem ejus, aut
non multo ante Ciceronem aut ejus ætate fuisse, quare
sepe in lapidibus & in Corpore juris mulierum testamen-
ta sunt obvia L. 37. §. 6. De Leg. III. L. 19. de inofic.
Test. L. 3. C. eod. L. 33. de Vulg. & Pupil. Unum
adhuc qui sub generalibus verbis **VTI QVISQUE &c.**
comprehendi non potuit addere mihi liceat, nimirum
filium familias. Hic republica ab Imperatoribus non-
dum occupata plane & ne patre quidem permittente te-
stari non poterat l. 6. ff. qui test. fac. l. penult. C. eod.
quia testamenti factio publici juris non privati erat, fini-
tore Papiniano in l. 3. ff. qui test. face: poss. & præterea
L. XII. Tab. de solo patre familias locuta, ei quoque
jus testandi tribuerit. Nimis fuisse a ratione alienum,
si decemviri facultatem testandi dare voluissent homini
qui nihil in suo censu vel ut Vlpian. inquit Tit. XX. §. 10.
nihil suum haberet, de quo e vita abiturus ultimas confi-
cere Tabulas posset. Tralatitium etenim est filios familias
in dominio mancipioque patrum fuisse Caj. inst. Lib. 1.

Tit. 6. §. 3. l. 1. §. 2. ff. de Rei Vind. omniaque patri ac quisivisse. Durioris fane in hac re erant conditionis quam servi, quorum Testamenta Domino permittente, ut legitima custodiebantur Plinius Lib. VIII. ep. 16. Donec Augustus Nerva Trajanus & Hadrianus constituerunt, ut de castrensi peculio libere testari possent pr. inst. quibus permis. non est test. fac. l. 1. ff. de test. mil. non quidem ut filii familiæ sed ut patres familiæ fictione juris l. p. §. ult. ff. de injusto rupto. & irrito: ne Cap. XII. Tab. impedimento esset quippe quæ solius patris familiæ tantum mentionem fecerat.

VTI LEGASIT. Prolegarit, Haloander legasset. Verum plus apud me valet auctoritas Codicis Florentini, quam Haloandri emendandi libido. Non enim, inusitatum fui Priscis litera S. uti pro R. immo ante necessitatis erat, quam Appius Claudius invenerat literam R. eaque inventa non penitus abjecerunt literam S. sed eam usurparunt pro litera R. ita Festus V. iussa testatur veteres iussa non jura dixisse, arbossem pro arbore robossem pro robore, v. arbos, est pro erit vid. Quintilianus Lib. I. inst. orat. c. 4 ipse Tacitus queritur Lib. II. Anal. in fin. Romanos recentium in curiosos vetera extulisse. Plura qui desiderat audeat Robertum Lib. II. Animadvers. c. 2. Interim, si hanc legem propter inscriptionem ut supra monui, cum L. 10. de Aur. Arg. L. 22. ff. quand. Dies Leg. conferre vélis, deprehendes, Pomponio de legis tractatu ante omnia animum fuisse explicandi vim ac potestatem et verbi legare. Perquam familare enim juris-

jurisconsultis rem quantam exponere aggressuris erat ut imprimis ante oculum haberent illud *Platonis in Gorgia* ος αὐταὶ ὄντες εἰδῆ εἰστεις νοή τα πράγματα i. e. qui rerum nomina norit, etiam res ipsas facile pernoscat. De Labeone illustris extat locus apud *Gellium Lib. XIII. c. 10.* qui refert, eum latinarum vocum origines rationesque percaluisse, eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos usum esse. Alios jurisconsultos hac in arte eximie versatos exhibit tot. *Tit. ff. de V. S.* Quod autem originem verbi legare attinet alii a græco verbo ληγεῖν vel ληχεῖν deducunt ut *Merula ad XII. Tab. p. 140.* alii idem est ac lege agere, disponere, mandare, quorum sententiæ ego quoque accedo, præsertim si Vlpianum audiamus *Tit. de Leg. §. 1.* qui legatum, inquit, est, quod legis modo i. e. imperative in testamentis relinquitur, nec inconcinne quis dixerit, ea lege peragi, quæ in comitiis fiunt *Cic. i. de orat. Vopiscus in Aurel.* nihil non adeo extra omne dubium est positum, quam ea omnia vim habuisse legis quæ in comitiis Quiritium consensu debabantur. De testamentis clare testatur *Gellius nōt̄. attica Lib. XV. c. 27. Cic. Philip. ii. c. 42.* qui aperte testamentum legi ita comparavit: *in publicis nihil lege esse gravius in privatis firmissimum testamentum.* Ex his constat verbum legare hic non denotare particularem quandam prout in Digest. & Instit. *Tit. de Legatis sumitur,* verum universalem potius de patrimonio dispositionem adeo ut ajente Pomponio in nostra lege quis possit heredes instituere ac legata dare &c. Audiendi plane non sunt qui popu-

populariter loquendum putant, nec præter Plautum *Caf.*
actu 1. sc. 1. vers. 12. huncce significatum apud elegantiores
 latine linguæ auctores obvium esse, nam plane non
 alio sensu illud verbum occurrit apud Vlpianum Tit. XX.
 in nuncupatione testamenti : *Hec uti in his tabulis*
cerisive do, ita lego, ita testor, & in L. 1. pr. ff. ad
 Leg. Falcid. Quid quod assiduum dabo vadem Theophilum
 nempe Tit. inst. de Leg. Falcid. qui dum inquit.
~~ος μεν λεγατευσ ηση διατυπωση τησ~~ explicat verbum ~~λεγατευσ~~
~~τερεν~~ per ~~διατυπων~~ nam particula ~~ηση~~ hic significat idem
 ac id est ut sumitur ad Rom. VIII. v. 23. conf. Scheffer. ad
 Elianum in indice similiter in latina lingua & pro id est sumi-
 tur, ita Imperator in inst. ait *tutela est vis & potestas &c.*
 hoc est tutela est vis i. e. potestas &c. vide Stewebium ad Ve-
 get. Lib. III. c. 10. & in Elec. ad Arnob. Lib. II. Ottob. ad in-
 st. p. m. 103. Ceterum ponamus verbum legare semel
 tantum occurrere in hoc significatu in L. nostra XII.
 Tab. ex inde tamen non sequitur explicationem hanc es-
 se nimis jejunam. Quis quo^{do} facile nundinas pro epu-
 lis usurpatas inveniet excepta L. 69 ff. pro Soc. & verbum
 judicare pro legare excepto 2. feud. 9. §. donare autem?
 Multa enim verba teste Varron. Lib. IV. de lingua lat.
 aliud nunc ostendunt aliud ante significabant.

SUPER FAMILIÆ. Jam litem movent Hottomanus
 Balduinus c. XXIX. Reyardus c. XII. & XVIII. pa-
 riterque Marcilius ad Leges XII. Tab. qui super Familia
 scribendum putant, imprimis cum Cic. II. de Invent. c. 50.
Vlpianus l. c. *Bahadoza & Charondas* in L. 53. de V. S. ita
 jubeant,

jubearit, ita velint & Grammaticis vim fieri vetent. Verum liceat mihi antestari. Vix puto aliquid emendandum esse in L. 53 de V. s. cum præter Holoandrum, immensum quantum apud me valeat, Florentini Codicis auctoritas. Nec Grammaticis injuria infestur, cum ejusmodi constructiones jam dudum latina civitate donatae sint. O nra Cujacius quidem facile ad ea esse responsionem putat, quod græca sint. Sed bona venia tanti Viri symbolam mean conferam. Facile huic constructioni locum do in latinitate, cum nullus videam necessitatem, quæ ne ita urgeat, ut ea, quæ a peregrinis obtorto collo in jus nostrum rapiuntur, patria & domestica negem. Vulgi fabula est, Jurisconsulti magna cum orationis elegancia scripsisse & qui quæc græcis nos immitcerent potuerunt? hæc sunt inter se invicem pugnatio. Crediderim itaque Ellip: hic potius esse, quæ aucto-ribus valde fuerint familiares. Sic. Cic. L. III. de off. 2. Si defendi (subaudi negotiorum) labor est potius quam voluntas. Plaut. asin. II. 4. 53 cui omnium rerum (negotiorum) ipsas semper credit, add. Gell. VII. 15. §. 3. inst. de Legib. agnat. success. Perizon. ad sancti Mineru. Lib. 2. c. 3. n. 12. p. m. 175 Ex his autem, quod apud antores Ellipses inveniantur, parum sequitur, eas a Græcis mutatas, cum æque græca lingua iis abundet, nisi dicere ydilis & eas a græcis aliunde esse in civitatem assumtas vid. Bosi Ellipses græc. Hand nego, græca apud Romanos magno in pretio semper fuisse habita Cito in Bruto. c. XC adeo, ut barbara vox sit Marii apud Sallustium jug. c. LXXXV. GRÆCAS LIT-

C

TERAS

TERAS NON DIDICI, ex inde tamen commode inferri
nequit, latinum dicendi genus ab optimis auctoribus ve-
luti Cicerone græcis constructionibus adeo fuisse macu-
latum. Et licet his omnibus repudium mittam, verum
tamen est, auctores sæpius casu secundo pro sexto usos
esse, uti multa profert exempla Nonius Marcellus de
propriet. serm. c. IX. Aperte inter alia hoc docet In-
scriptio apud Gruterum p. CCC. XLIII.

ACERIO FIRMEO LEONTIO
PRIMARIO VIRO ET EDITORI
MVNERIS SVI CVM FERARVM
LIBYCARVM QVI VIXIT ANN.
XXX. DIGNISSIMO FILIO
CONSECRABERVNT.

Miror Jacob. Gothofredum summi ingenii virum, *Marcilium*,
Revardum, Ritterbusum ad LL. XII. Tab. & nuper Clari-
ssimum Belgii sydus *Burmannum* in restituendo hoc LL.
XII. Tab. capite *ro* FAMILIAE prætermisso, cum tamen
abunde constet, illud sine scelere prætermitti non pos-
se. Auctor ad Herennium, cui Tabulæ XII. sine dubio
ad manus fuerunt, inquit, PATER FAMILIAS VTI SUPER
FAMILIA RECVNIAVE SVA LEGAVERIT ITA JVS ESTO. Vi-
demus insuper apud auctores *ro* familia & pecunia per-
petuo conjugi. Gellius Lib. XVIII. c. 1. Quoniam & corporis
integritas sanitatisque, & honestus modus forme, & pecunia fa-
miliaque & bona existimatio, ceteraque omnia corporis & for-
me bona necessaria viderentur perficiende *beata* vita idem Lib.
XVI. c. 10. pecuniam familiamque conjungit. Plane non
dubium

dubium videtur, quin in nostra lege *ro* familiæ adfuerit, cum in alio capite LL. XII. Tab. ubi agitur de successione ab intest. familia & pecunia conjugantur ita: *si pater familias intestatus moritur familia pecuniaque ejus agnatum gentiliumque esto autem ad Herenn. Lib. 1. § 13. Cic. II. de invent. c. 50.* Suetonius in Nerone c. 4. eleganter hoc idem innuit, cum inquit: *Ex hoc Domitius nascitur quem emtorem familia pecuniaque in testamento Augusti fuisse vulgo notum est.* Ne autem quis mihi objiciat utrumque familiam & pecuniam totum significare patrimonium, pro ut de pecunia mox videbimus, disquiramus, quid proprie familiæ denotet. Hoc vocabulum, cum voce pecuniæ coniunctum, semper denotat servos, quippe in quibus magnæ olim veterum facultates sitæ erant. *Phedras Lib. III. fab. 19. L. 9. ff. de Jurisdict. L. 32. ff. ad L. Aquil. L. 32. de dolo malo L. 1. ad S. C. Silan. L. 5. de Hæred. pet. L. 31. de Noxal. aet. imprimis vero huic rei lucem affert Rubrica in ff. si familia furtum fecisse dicatur Gell. Lib. IV. c. 1. L. 3. §. 6. ff. de Pen. leg. Differentia porro inter familiam & pecuniā clarior evadit ex inscriptione apud Grut. p. DCXXXVI. FAMILIAM SVAM MANV MISIT PECVNIA LEGAVIT. Ex hoc enim lapide tituloque sepulchrali per quam manifestum est, Quirites hæc inter se invicem optime se junxit & formulam, quæ ex LL. XII. Tab. manaverat, in testamentis condendis in modum usumque iis migrasse. Verum posterioris ævi Juris Consult. eam immutarunt & vocem familiæ non servos tantum, sed omnes res, quæ in patrimonio*

nio sunt, significare voluerunt *Terent.* *Heaut.* *Aelia V.*
Sc. 1. vers. 36.

Decem dierum vix mihi est familia. i. e. res familiaris L. 195. L. 40. §. 2. de V. S. & liberos L. 196. de V. S. collat. *Leg. Mosaic.* *Tit. XVI.* §. 9. *Paulus sentent.* *Lib. III.* *Tit. 6.* §. 58. & hereditatem. Unde notum est judicium familie erciscundae & familie emtor.

PECVNIAE. Variæ sententiæ de origine vocis pecuniae videri possunt apud *Desider. Herald.* in *Advers.* *Lib. 1. c. 8. p. m. 38. 39.* *Robert. Genal.* de ponder. ac mens. ratione. *Tom. II. Thesaur.* *Graviani Tom. VI. Isidor. Origin.* *Lib. XV.* c. 17. *Plinius Lib. XXXIII. c. 1.* & *Lib. XXIX. c. 3.* Varios autem habet significatus & proprie quidem denotat pecuniam numeratam, ut in *Senatus C. Maceo.* & *Tit. C.* de prohibita sequest. pecuniae, quo modo *Vlpianus* quoque in cautione, quæ ex Lege Jul. & Pap. uxori a marito praestatur, qui servos manumisit uxoris voluntate, accipiendam esse dicit in L. 64. §. ult. sol. matr. Interdum pecunia designat ea, quæ pondere, numero & mensura constant. L. 30. de Legat. 1. & in L. 178. d. V. S. Adeo late accipitur, ut non tantum, quæ numero, pondere & mensura constant, sed etiam omnia omnino corpora complectatur. Verum ea definitio non ad omnem, in quo pecuniae fit mentio, referenda est casum, sed potius de stipulationibus emtae & venditaæ hæreditatis, actionis aut obligationis tantum inter pretanda est propter L. 2. ff. de Hæredit. vel act. vend. L. 3. L. 38. ff. d. V. O. ex quarum inscriptionibus adparet, eas ex codem Lib. XLIX.

ad

ad Sabinum sumptas esse, in iisque de stipulationibus
emtæ & venditæ hæreditatis tractatum fuisse eaque oc-
casione Vlpianum in L. 178. vocem pécuniaæ, quæ in di-
ctis stipulationibus occurrebat, explicasse Cujac. Lib. II.
observ. c. 30. Aliter sumitur in L. 1. §. fin. ff. de Ca-
lumn. Hoc loco denotat, exceptis servis, reliquam hære-
ditatem Cic. tamen Topic. c. VIII. quod ipse Justinianus
in L. 2. §. 1. C. de const. pecun. confirmat, cum
omissa servorum mentione dicat, hoc vocabulum in li-
bris auctorum & in ALIA ANTIQVA PRUDENTIA sub-
se comprehendisse res omnes, quæ pondere, numero &
mensura constant. Imperatorem hic per libros juris
auctorum Celsium Lib. XIX. ff. L. 88. de V. S. & Her-
mogenianum Lib. II. jur. Epitom. L. 222. de V. S. per
antiquam autem prudentiam, legem nostram XII. Tab.
intelligere, non vana conjectura ducor, eo, quod Justi-
nianus in alleg. L. 2. §. 1. C. de const. pecun. veteres
libros prudentum opponat antiquæ prudentiæ. Nec
alienum est a jure nostro, jus illud, quod Tabulae ter-
fanxere quaternæ, antiquæ prudentiæ nomine venire,
cum eadem occurrat locutio §. 5. Instit. de Exhered. li-
ter. L. 1. C. de Except. L. 7. ff. de capit. minut. L. 29.
§. 7. de Liber. & posthum. L. 1. de Pet. hæred. L. ult.
C. si cert. pet. L. 1. C. Theod. Fin. regund. pr. Instit.
de Bonor. poss. L. 2. §. 11. de Orig. jur. Ex his ita-
que constat servos in LL. XII. Tab. sub pécunia com-
prehensos non fuisse; licet postea sub ea continerentur
ut Augustin. de discipl. christ. VI. p. 585. Tom. VI. op. inquit.

Quicquid homines possident in terra, quorum domini sunt, pecunia vocatur, servus sit, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est, pecunia vocatur. Cl. Heinec. in Antiquit. p. m. 188.

TUTELÆVE REI SUE. Gerhardus Noodtius in ff. Tit. de Tutel. & Lib. II. obser. c. 19. putat, yerba rei sue neque legis esse, neque Vlpiani, verum ea deberi alicui juris studioso, qui ad oram libri sui in quo vera fuerit Vlpiani lectio *super pecunia tutelæve sua* annotaverit, alibi extare *re rei sue* e.g. in pr. Instit. de Leg. Falc. Nov. XII. c. 2. illudque per in cogitantiam liberarii in ipsam legem 53. de V. S. irreplisse: Denique hæc verba *super pecunia tutelæve rei sue* non convenire regulæ, quam Pomponius, Vlpianus & Marciatus tradunt. Tutorum nimirum personæ testamento dari posse, rei vel causæ non posse, ideoque potius scribendum esse *super pecunia tutelæve sua*, cum pater & filius, qui in ejus domo & potestate est, jure civ. pro eadem persona habeantur hancque conjunctionem & unitatem indigitare L. XII. Tab. Sed pace tanti viri retineo potius lectionem quam Pandectæ Florentini in L. 53. ff. d. V. S. & Vlpianus Tit. XI. exhibitent. Nec Liberario alicui incogitantiae aut imperitiae culpa assignari potest, cum salva res sit & integer sensus, ut potius abjectis illis verbis manifestum in d. l. vulnus appareret. Multo minus concedere possum, ideo dici debere, super tutela sua, quod pater & filius una sit eademque persona, siquidem hæc una est ex iis thesibus, quæ invita jurisprudentia circumferuntur.

tur, nec ullum in iure fundamentum habet. Non ea Decemviris fuit sententia, ut quis tutorem daret rei, sed potius liberis suis. Quid opus fuisset interpretatione prudentum & fori disputatione? ut certis tantum in casibus Tutor rebus pupilli dari possit' L. 10. §. 4. ff. de Excusat. Tutor. L. 15. ff. de test. tut. (qua in lege dicitur, *hoc jure utimur*, quæ voces semper denotant, rem disputatione fori finitam & consuetudine adprobata,) si Decemviri per *re ius sue* non intellexissent liberos, sed e. g. fundum, agrum &c. Non indiget Patrono auctorato L. nostra XII. Tab. ipsa per se satis causam orat & quomodo intelligi debeat, perspicue docet. Nam postquam locuta erat de familia, de pecunia, hoc est de toto patrimonio, egit dein quoque separatum de tutela REI SVA I. e. liberorum suorum. Huic suffragatur quoque Pomponius in nostra lege, cum dicit LL. XII. Tab. latifissimam tributam fuisse potestatem & heredes instituendi, & libertates dandi, *tuelas quoque constituendi* &c. & Paulus in L. 53. de V. S. cum dicitur *super pecunia tutelae sue*, ait, tutorem separatum sine pecunia i. e. hereditate, nam Decemviris pecunia est hereditas *Cic. in Top. Cap. 8.* dari non posse. L. 1. ff. de Testam. tut. L. 73. §. 2. de Reg. Jur. Totam hancce disputationem effecit parum intellecta rei significatio, ut aliter esse non potuerit, quam ut Juris Consulti in diversas iverint sententias. Quamvis sic rei significatus latissime pateat & omnes res, quæ in patrimonio, quæ extra patrimonium positæ sunt sub se comprehendat L. 5. de V. S. L. 1. in fin. de Reb. credit.

dit. pr. Instit. de Rer. Divis. L. 32. §. 2. de Legat. 2. pr.
 Inst. de Reb. corporal. & interdum ea tantum, quæ in
 patrimonio sunt, significet L. 1. ff. ad L. Falcid. Tamen
 hoc loco, ne nimis operose in enumerandis significati-
 bus rerum verter, intelliguntur liberi, quippe qui apud
 Romanos nihil aliud erant, quam res mancipi *Caj. Lib.*
I. Inst. Tit. VI. §. 3. & eodem habebantur loco, quo ser-
 vi, qui omnium suffragio res erant. Egregie hoc con-
 firmat vetus Virgilii Scholia *tes. Servius ad L. XI. Anecd.*
V. 143. dum, alii tradunt, inquit, de filiis, qui in pote-
 state patris sint, non putari jus esse, funus vocari fieri-
 que, quia servi loco sint parenti. Hinc non alia ratio-
 ne filio subrepto patri furti actio apud Romanos daba-
 tur L. 14. §. 13. L. 38. pr. de furtis & rei vindicatio di-
 recta ex jure *Quiritium* L. 1. §. 2. ff. de Rei Vindicat.
 quam quod res inque dominio nancipiove parentum
 essent, ut impune vendi & occidi potuerint. Talem &
 adeo magnam potestatem, paternam majestatem adpel-
 lat *Valerius Max. Lib. VII. c. 7. Livius Lib. III. c. 45. Senec.*
Lib. II. de benef. & Lib. III. de benef. qui parentes domes-
 ticos magistratus vocat. Nam liberos necare, extra pu-
 blicas tabulas positum erat. Ex quo intelligi potest,
 quod *Justinianus* inquit §. 2. *Instit. de patria potestate* nemini
 talem in liberos competere potestatem, quam Romanii
 habuerint. Ne nimius sim in hoc arguento, ad
 testimonia *Quintil. de clamat. 376. & de clamatione 3. Dianys.*
Hali carnass. Lib. II. c. 27. Valerii Max. Lib. V. c. 8. Livii Lib.
III. c. 45. Forner. Lib. I. c. 2. & 3. aliorumque qui impense
 operam

operam impenderunt in tractandum vetus jus vitæ & necis, me converto, qui multa exempla æque judicii paterni ac domestici memoriae prodiderunt vid. *Wieling* diff. I. de jur. antiqu. vit. & nec. L. 4. C. de patria potestate L. 2. pr. C. Theod. de liber. caus. L. ult. C. de patr. potest. Noodt Lib. I. Probabil. c. 11. Ipsa adoptionis formula, apud Gellium Lib. V. c. 19. etiam si hæc omnia exilio damnare velis, satis illud evincit: VELITIS. JVBEATIS. QVIRITES. VTI. LV-CIVS. VALERIVS. LVCIO. TITIO. TAM. JVRE. LEGEQVE. FILIVS. SIBI. SIET. QVAM. SI. EX. EO. PATRE. MATREQVE. FAMILIAS. EJVS. NATVS. ESSET; VTIQVE. EI. VITÆ. NECISQVE. IN. EO. POTESTAS. SIET. VTI. PATRI. ENTO. FILIO. EST; HÆG. ITA. VTI. DIXI. ITA. VOS. QVIRITES. ROGO. Ex his parat quam insigniter fallatur egregium quondam Belgij decus Cl. Noodtius & quam remota sit a legibus Decemviralibus ejus interpretatio. Siquidem Cajus in L. I. ff. de testament. tut. abunde docet, per verba L. XII. Tab. *TUTELAENE REI SYAE* parentibus permisum esse, liberis suis, si modo in potestate sunt, testamento tutorem dare, etiam si aliorum auctoritatibus repudium mittamus. Ad originem tutelæ testamentariæ quod spectat, sunt, qui eam ex hac lege repetunt, sed vellem potius ejus natales ad Regum tempora referri, siquidem ex *Lip.* Lib. I. c. 34. satis constat Regem Ancum Marcium e vita abiturum liberis suis testamento tutorem dedisse. Interim non pertinaciter defendam, ea non L. XII. Tab. aut institutis liberæ reipublicæ Romanæ deberi, quæ jurisprudentiam regiam redolent, cum ea Regibus exactis,

D

cum

etum iis simul nomen ac vim amiserint & si quæ præclaræ visa fuerint, non legis a Regibus profectæ nomine, sed usu ac moribus introducta dicantur. Illustre hac de re extat de immensa in liberos potestate exemplum, eam enim quam a lege regia profectam confirmat coll., *LL. Mosais.* moribus introductorym dicit Juris Cons. in L. 8. ff. de His Qui sui jur. sint vel Alien.

ITA JVS ESTO. h. e. Ita lex esto. *Theophil. in Institut. Tit. de L. Falcid. rero vopus eti.* Haec verba vim ultimarum voluntarum exponunt & satis iunuunt, testamenta apud Romanos instar fuisse legis, quoniam in Comitiis calatis condebantur, ubi universus populus in suffragia mitti debebat, num vellent, juberent uti Sempronius Lucio Titio hæres fiet *Gellius Lib. XV. c. 27.* Ut enim quis testari possit de bonis, quæ alias ad universitatem reverterentur voluntate ac jussu eorum opus est, qui civitatem constituunt. Dominium, quod cuique in res competit, non ultra possidentis vitam extendi potest, cum nemo disponere aut velle possit eo tempore, quo definit velle. Redeunt ergo ad pristinum communionis statum res possessæ post mortem & occupanti cedunt tanquam nullius. L. 1. ff. de Rer. divis. *Cajus Lib. II. Inſtit. Tit. 1.* Ideo nec furtum rerum hæreditiarum fieri posse Juliani sententia est L. 68. ff. de furris & ibi *Gorbofred. in Not.* L. ult. expilata hæredit. (ubi tamen male non parenthesi inclusum est, quasi abesse debeat. Nam præter quod Taurellus, Haloander & Charondas id habent, negationem in d. L adesse debere evincit L. 6. §. ult. ff.

de

de act. rer. amotar.) Accedat igitur oportet L. auctoritas, quæ ultimis Tabulis robur ac vim addant, ita ut ejusmodi dispositio ab alio impugnari nequeat. In nostra lege, quam illustrandam sumpsimus, testamentis vim legis tributam deprehendimus ex iis potissimum rationibus, quas paulo ante in medium adduxi. Definitio legis, quod ea finiente Ateio Capitone sit generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu apud Gell. Lib. X, c. 20. & auctor. ad Herenn. Lib. II. apud Justin. Inst. §. 4. de Jur. Nat. Gent. & Civ, satis evincit testamenta leges fuisse, eo quod in comitiis conderentur & Decemviri dicant ITA JVS EST O. Hac de re Græci testari vertunt *vopiodereu* in Nov. 22, c. 2.

CAP. III.

DE INTERPRETATIONE
PRVIDENTVM.

Consideravimus Legem XII. Tab. testamentorum fontem & originem: eamus nunc cum Pomponio nostro in rem præsentem, qui, latissimam tributam, ait, potestatem & heredes instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constitundi, sed id coangustatum esse interpretatione vel Legum vel auctorite jura constituum. Feret hic humanus lector levem emendationem quæ verba ultima eo transponit, ubi scribarum aut li-

D 2

bra-

beriorum incuria avulsa videntur. Hoc autem modo Pomponium scripsisse: sed id coangustatum est vel Legum autoritate, vel interpretatione jura constituentium. exinde augor, quia verisimile non est, tam magni nominis Juris Consultum unum idemque bis dixisse, siquidem, ut mox dicam, interpretatio & auctoritas jura constituentium idem exprimunt. Praeterea si referas interpretationem ad *to Legum*, haud satis scio, an Regulis juris conveniat, etenim legis virtus non in interpretando consistit, sed potius in imperando, verando, permittendo & puniendo L. 7. ff. de LL. & Senat C. iusmo amplius, lex & interpretatio sibi invicem haud raro opponuntur Ampl. Bynckers. in opusc. p. 329. Nec peregrina in legibus est locutio, auctoritate earum aliquid constitui, nam eundem deprehendimus stylum in L. 13. C. de Except. L. 2. C. de Rei Vind. Hinc parum dubito, quin omnes, quos æquus amavit Jupiter, me absolvant ab emendandi libidine, praesertim si animum advertere velint & considerare, quam multa in ff. extent loca in quibus aut plane sensus mutilus, aut verba rejecta a suis sedibus maleque in aliud locum transposita reperiuntur vid. Rad. Forn. Lib. II. rerum quotidian qui multa concessit loca, quibus docet necessitatem & summam transpositionis utilitatem. Nihil ex ipsa lege ejeci, nec expunxi, si vero cui parum placuerit levis hecce emendatio, per me licet, facileque subscribam, si quis meliora dederit. De variis Legum definitionibus, aut earum ferendarum modo nihil est, quod dicam, cum jam ante me *Manutius*

&

& Anton. Augustinus integris libris hanc materiam ita tra-
starint, ut aliorum industriae parum aut nihil reliquissse
videantur. De auctoritate igitur & interpretatione jura
constitutum i. e. prudentum pauca addam. Dicem
potissimum elegi in ardua hac re & nimis late patente
Pomponium in L. 2. §. 5. qui, *legibus bis latis*, inquit,
capit, *ut naturaliter evenire solet*, *ut interpretatio desideraret*,
prudentium auctoritatem, *necessariamque disputationem fori*,
uti cum *Ampl. Bynkers. in prætermis. ad hunc §. lego.* His
tradit, LL. XII. Tab. interpretationi occasionem dedi-
sse, earum enim brevitas & obscuritas tanta erat, ut non
raro ipso prudentes, ne dum plebs nullis exulta bona-
rum literarum studiis, sensu Legis laborarent. Evenit
hoc *Sexto Aelio & L. Aelio apud Cie. II. de Leg.* qui inge-
nue professi sunt, quid Lessum in LL. XXII. Tab. signi-
ficarer, se ignorare. Similes querelæ apud *Gell. Lib. XVI.*
e. 10. Lib. XX. c. 1. leguntur. Latina linguae fata si ob
oculos ponere velis, eo minus hoc tibi mirum videbi-
tur, tanta enim diversitas est linguae latinae Decemviro-
rum ætate, ab ea, quæ Cic. tempore floruit, ut vere
Polybius dixerit Lib. III. e. 22. veteris linguae latinae tanta
diversitas est ab illa, qua hodie utuntur, ut vel peritissi-
mi nonnulla agere, ubi animum attenderint, explanare
queant. Summa hac de re flagitabat necessitas, ad ea-
rum interpretationem Legum ut accederent, qui cogni-
tionem juris proflerentur. Eximiis laudibus a *Gell. Lib. XX.*
c. 1. *sexti Cæcili & Phævorini Philos.* celebratur opera, quod
scite & doce *LL. XII. Tab. percaluerint.* Initio quidem

D 3

omnis

omnis interpretandi scientia ac potestas penes Collègium pontificum erat L. 2. §. 6. de Orig. Jur. sed per vulgata Cnæi Flavii studio eorum arte, Juris Consulti munus hocce occuparunt, qui æque scribendo, ac respondendo, ac disputando LL. XII. Tab. interpretati sunt. Inter alios hilarioris famæ Juris Consultos principem locum tenent *Cujus*, qui Libris VI. LL. XII. Tab. interpretatus est, ut patet ex inscriptione L. 1. de Orig. Jur. L. 234. de V. S. L. 48. de paetis L. 236. 237. 239. de V. S. L. 3. ff. de litius. *Sextus Elius* tripartita scripsit, in quorum secundo referente Pomponio L. 2. §. 38. d. Orig. Jur. LL. XII. Tab. interpretatus est. Similiter *Antistius Labeo*, cuius commentaria adducit *Gell. Lib. I. c. 12.* & *Lib. VII. c. 15.* His non immerito junxeris *Ciceronem*, qui in libris suis, imprimis autem iis, quos de legibus inscripsit, multa de LL. XII. Tab. inseruit. Inspe his est de interpretatione prudentum *Livii* locus *Lib. II. c. 55.* quem ideo integrum opponam: *Sanciverunt Romani*, ut qui *Tribunis plebis*, *Ædilibus judicibus*, *Decemviris nocuisset*, ejus caput *Joci sacrum* esset. *Familia ad Ædem Cereris*, *Liberi* *Liberaque venam* iret. *Hac lege* *juris* *interpretes* negant quemquam *sacro sanctum* esse: *Sed eum*, qui eorum cuiquam nocuerit *sacrum sanciri*. Itaque *Ædilem* prebendi ducique a majoribus magistratibus: quod si & non jure fiat, (*noceri enim alicui* *bac lege non licet*) tamen argumentum esse, non haberi pro *sacro sancto* *Ædilem*, *Tribunos* *veteres* *jurejurando* *plebis* cum *primum* *eam* *potestatem* *creavit* *sacro sanctos* esse. *Fuere* qui *INTERPRETARENTVR*, *eadem* *hac Horatia Lege* *Consuli-*

bub

bus quoque & Praetoribus qui iisdem auspiciis, quibus Consulae crearentur, cautum esse: Judicem non consulem appellari. Que refellitur interpretatio &c. vid. Cic. III. de offic. Quoniam vero Juris Consultus definitur a Cicerone I. de orator. qui non modo legum & confuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, sed etiam ad respondendum & adagendum & cavendum peritus esse debet, hinc merito de altero interpretationis genere, responsis nimis, agemus. Respondendi munus quanto semper apud Romanos in honore fuerit habitum, difficile est dictu. Non plebs, sed populus, non privati tantum, sed Judges quoque ad Juris Consultos velut ad benefica sidera convolabant, eosque in causis dubiis ac controversis de jure consulebant. Hanc ob causam Cajo Sципioni Nasicae ob eximiam de jure respondendi promptitudinem & singularem in rebus controversis animi praesentiam publice domus fuit data, quo facilius consuli posset. Haec cum ita sint, eo minus quis Ciceroni in virtutis ponet, si domus Juris Consulti totius civitatis oraculum ei visa fit I. d. orator. c. 45. Eodem loco valde miratur, Quinti Mucii januam & vestibulum in ejus infirmissima valetudine affectaque jam aetate maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratum fuisse. Ennius non aliam ob causam, referente eodem Tullio, Sextum Aelium egregie cordatum hominem, quam propter eximiam juris civilis scientiam, appellavit. Tanta erat & adeo magna juris Consultorum veneratio ut jam
dane ante dominus eorum irent, Horatius II. Epist. I. v. 103.

Roma

Romæ dulce diu fuit & solenne, reclusa
 Mane domo vigilare, clienti promere jura
Sermon. II. 1. v. 9. & 10. Etsi Juris Consultus copiam sui
 fecerat, solennis interrogantium formula erat: LICET
 CONSULERE Quod idem Poeta *Horatius II. Sermon. Sa-*
tir. 2. v. 192.

Ergo consulere & mox respondere licebit.
 His respondebat Juris Consultus CONSULE aut LICET
 de quo *Tibullus* concinne canit, *Lib. I. Eleg. 4.*

Me, qui spernentur apantes

Consultent: cunctis janua nostra patet. *Add. Cic.*
c. 13. pro Murana. Deinde factum proponebant ut docet
L. 83. de Leg. 2. L. 44. §. 1. ad S. C. Trebell. L. 30. §. 1.
 de Except. Rei, judicat. De ejusmodi interrogandi &
 respondendi modo optime lucem affert *L. 22. ff. ad L.*
Falcid. Nesennius Appollinaris Julio Paulo. *Ex facto, domine,*
species ejusmodi incidi: Tertia filias suas tres numero equeis ex
partibus scripsit heredes &c. Quarto, an adversus coheredes suas
a quibus legata & ipsa accepit, uti possit Falcidia &c. RE-
SONDI L. 37. de Excusat. Tut. L. 41. de Re Judicat.
L. 34. de Negot. Gesti. L. 49. §. 3. de Solut. L. 17. de
Pactis dotal. hac specie facti proposita resonsum acci-
piebant, in quo formula haec erat: Secundum ea, que
proponerentur L. 13. §. ult. L. 15. pr. L. 16. §. 1-2. ff. de
Aliment. Legatis in proposita specie, L. 81. de Hæred. in-
stitut. Respondit non proponi L. 78. §. 2. ad Senat. Cons. Tre-
bell. L. 34. §. 6. de Legat. II. L. 38. §. 4. & 7. de
Legatis III. vid. Briffonius de Formulis p. 313. Sin vero
res

res moram non patiebatur, ut ad Juris Consultorum domus ire possent, statim in foro Juris Consultos in consilium adhibere poterant, si enim aut in stationibus erant, aut transverso foro ambulabant *Cic. III. de Orat.* Meminerant illi Sextum Aelium, M. vero Manlium nos etiam vidimus transverso ambularem foro, quod erat insigne eum, qui id ficeret, facere civibus omnibus consilii sui copiam. Ex hisce origo advocatorum apud Romanos eruenda est. *Dionysius Hali carnass. Lib. II. Antiq. Roman. Plutarchus in vita Romuli, Brummer. ad Legem Cinciam c. 2.* Nam ideo hoc nomine insigniebantur, quod a partibus transverso foro ambulantes in patrocinium causarumque tutelas ad vocarentur. Romæ fuisse certas stationes, ubi Juris Consulti jus controversum interpretarentur, de eoque disputarent ex *Gell. Lib. 13. c. 12.* satis adparet, ubi refert: *Se cum ex angulis secretisque librorum ac magistrorum in medium jam hominum & in lucem fori prodiisset, quæstum esse membrum in plerisque Rome stationibus jus publice docentium aut respondentium &c. idem confirmare mihi videtur vetus Scholia fest Juvenal. dum notat ad illud Sat. III.*

Figantur virides, scalarum gloria palmae. Scale armariola *advocatorum vel ut quidam casæ & stationes.* Incredibile est, quanta in authoritate fuerint Jcti, ad eos enim ibatur, ut non solum de jure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo referreretur *Cic. III. de Orat.* Interdum quoque Juris Consulti per Epistolas consulebantur ab absentibus, quibus RESCRIBERE dicuntur in libris juris no-

stri. Extat talis epistola in Collat. LL. Mosaic. & Roman. Tu. 4. ex libro singulari Papiniani de adulteriis sumta, hoc modo: *cum patri Lex Regia dederit in filium vite necisque postularem, quo bonum fuit, lege comprehendi, ut potestas fieret etiam filiam occidendi, vellent mihi RESCRIPERE, nam scire cupio.* RESPONDIT &c. L. 2. §. 5. ad L. Jul. de Adulter. §. 8. Institut. de Rer. Divisione. unde epistolcarum quæstionum origo L. ult. ff. de Minor. Ipsi judices non raro, aut aliquot Juris Consultos in consilium sumebant Gell. Lib. XII. c. 13. aut eos de jure consulebant in in causis arduis & valde dubiis, non ignari, quanta eorum in foro, in Tribunalibus & intra privatos penates fuerit auctoritas, quod Tullius fatetur in Topicis ad Trebatium c. XVII. cum inquit, *privata judicia maximarum quidem rerum in Juris Consultorum mihi videntur esse prudensia.* Nam & adsunt multum & adhibentur in Consilio & Patronis diligibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant. Idem pro Murana c. XIII. Ante Augustum scribebant plerumque judicibus aut testabantur, qui illos consulebant. Verum sub eo Imperatore responsa dabant utique signata L. 2. §. 42. de Orig. Jur. quo alludit Seneca Lib. VII. de benef. c. 12. si tamen quid sentiam queris & vis signare responsum &c. Augustus non tantum pristinum morem mutavit, ubi quilibet studiorum suorum habens fiduciam de jure respondere poterat, sed etiam, ne ab Juris Consultorum sententiis judici recedere liceret constituit, & hoc est, quod Justinianus ait in §. 8. Institut. de jur. Nat. Gent. & Civ. Perperam

in dubium id vocat Jacob. Gothofredus ad L. unic. Cod. Theod.
de Responsis putans, non aliam esse constitutionem, ad
quam Justinianus provocat, quam d. L. unic. Sed optimo
excusfit hanc sententiam Thomasius in Nœvis jurisprud.
Roman. Lib. II. Nœvo 20. per eam enim constitutionem
nihil aliud egerunt Theodosius Junior & Valentinianus
III. quam ut quorundam Juris Consultorum scripta vna
Legis haberent, adeoque species juris scripti essent.
Tantum abest, ut Augustus responsa Juris Consultorum
leges esse voluerit, ut potius, studio judiciariorum pote-
statem callide ad se rapiendi, iis aliquam dederit auctorita-
tem Seneca Epist. 94. Quid enim aliud in jure no-
stro significant formulæ, recepta sententia est, receptus
mos, pos. multas variations receptum est. L. 215, de Verb.
Obl. L. 3. Cod. in Quib. Cauf. L. 41. de Reb. Credit.
L. ult. pro Legit. L. 32. de O. & A. L. 55. §. 1. de Le-
gatis II. quam quod eorum sententiæ, usu populi ad-
probatae tacitoque consensu receptæ, Legis demum vna
obtinuerint & in jus non scriptum migrarint. Evidem
non satis scio, quomodo Gothofredus ad hancce delabi-
potuit interpretationem d. §. 8. cum sepolitis aliis ar-
gumentis, ea pugnet cum ipsa mente & verbis Justinia-
ni, quippe qui resert, antiquitus institutum fuisse, ut
essent, qui jura publice interpretarentur, quibus a Cæ-
sare jus respondendi datum fuerit, corumque sententias
& opinions eam tenuisse auctoritatem, ut judici rece-
dere a responso illorum non licet. Clara haec sunt,
nec interpretatione egent. Augustus, quem per Cæsa-

rem intelligit, primus liberiorem a responsis Juris Consultorum recedendi facultatem, quæ stante republica judicibus competebat *Cit. pro Murena c. 13. pro Cacina c. 24.* iisdem ademit. Cæterum non privati tantum ad Juris Consultorum auctoritates configiebant, ab iisque causarum suarum præsidium sumebant, sed ipsi quoque Juris Consulti in libris sententiisque aliorum Juris Consultorum opinionum suarum patrocinium quærebant. Sic Crassus, a Galba disputando vicit, ad auctores configit, & id, quod ipse dicebat & in P. Mucii fratris sui libris & in Sexti Ælii commentariis scriptum protulit, narrante *Tullio Lib. I. de Orat. c. 56.* Quid quod? ipsi Imperatores in rescriptis suis Juris Consultorum auctoritatibus utebantur. *vid. Schulting. diss. pro Rescriptis Imper. Roman.* Hinc nemini ultra modum humani ingenii aut captum videbitur, si illi *juris conditores* vel *juris auctores* passim dicantur *L. 17.* de Jure Patron. *L. nostra* in fine *L. 1.* pr. *C. comm. serv. man. L. 23.* *C. de Procurat.* eorumque ratas sententias nomen constitutionum ferre *L. 2. §. 5.* de Orig. Jur. *L. 91. §. 3.* de V. O. L. *36.* ff. de Statu Lib. quoniam ea, quæ in disputatione fori & Auditorio Principum definita erant, vel quæ per consultationem & responsonem frequentem constituta erant, in generale nomen juris civilis transibant moribusque retinébantur. Exempla sunt Tit. Inst. de Legit. Patron. Tutel. pr. Inst. de Pupill. substit. pr. Inst. de Codicill. Theophilus ad Titulum de acquis. per Arrogat. & pr. de Off. Jud. qui hanc των σοφων νομοθεσιων eleganter exposuit.

suit. Accedimus nunc ad disputationem, tanquam interpretationis speciem, quæ vel in foro, vel in auditorio principis fiebat. In foro, ut supra mentionem injeci, saepius conveniebant Juris Consulti, aut ut rebus gerendis adessent, aut ut disputationibus operam darent. Mira rerum varietas & amplitudo & summa summorum hominum in foro Romano celebritas alliciebant non rerum novarum tantum studiosos, sed eos potissimum, qui æque elegantiorem vitam ac juris scientiam profitentur. Mutua ibi invicem ingeniorum certamina vides, & alter alterum ingenii dotibus disputandique arte antecellere studiose laborabat. Vcl unicus Phavorinus apud *Gell. Lib. XX. c. 1.* suo nos docet exemplo, quam familiares Romanis fuerint disputationes. *Noctium Atticarum* Auctor meminit *Lib. XIII. c. 13.* in stationibus disputatum an prætor in jus vocari possit add. *L. 15. §. 7. ff.* de injur. Hinc intelligi potest, quid formulæ in ff. fibi velint: *fere autem convenit.* *L. 3. §. 1.* de Novat. secundum omnium sententias *L. 64. §. 4.* de Eviæ. secundum omnium opinionem *L. 141.* de V. O. scio trattatum & plerique putant *L. 2. §. 23.* Ne quid in loc. publ. fuit questionis & obtinuit *L. 24.* de Acquirend. Hered. magna dubitatio fuit, sed hoc jure utimur *L. 73. §. 1.* ad L. Falcid. Interdum causas in disputando adjiciebant, ut Scævola in *L. 19.* De Liber. & Posthum. Plura de hoc disputandi genere differere possemus, si Venulei Saturnini integri Libri VII. Disputat. ut & Claudi Tryphonini Libri XXI. ad nos pervenissent. In auditorio, ut dixi, Principis simili-

E 3

ter

ter disputabant, si res aliqua magni momenti ocurreret. Nam jus postquam in Comitio seu puteali Libonis reddi desit, in auditoriis redditum fuit. *Tacitus de Orat. c. 39.* Hinc in L. 41. de Recept. auditorium accipere, idem est, quod sedere ad partes audiendas super re controversa. Auditorium nihil aliud fuit, quam locus, in quo causæ agebantur & decidebantur L. 4. de liberali caus. L. 1. An per al. caus. app. L. 1. §. ult. ne de statu defuncti L. 22. ad S. C. Trebell. L. 1. de Minor. Convocabant Principes, quoties ardua incidebat quæstio, Juris Consultos, ut de ea in consilium irent. Ita Augustus, cum dubitaret, an Codicillorum usus recipi possit, inter alios, qui tum aderant, ex Trebatio illud quæsivit & obtinuit, præsertim cum & Labeo Codicillos fecisset pr. §. 1. Instit. de Codicill. in quo vides acriter disputatum fuisse & tandem Trebatii sententiam obtinuisse. Eundem morem alii quoque Principes retinuerunt. *Lampridius in Alexandro Severo c. XVI.* de eo refert, nullam constitutionem fecisse sine viginti Jurisperiti & doctissimis & sapientibus viris iisdemque disertissimis. Aliud exemplum videri potest in L. 78. §. 4., quæ est desumpta ex Lib. II. disputationum Tryphonini, ibi quæstione proposita, Juliani sententiam refert & tandem inquit: Et ego dixi in AUDITORIO, illam solam dotalem esse add. L. 41. ff. de Reb. credit. Qui ergo disputando vicerant, eorum sententiam Princeps probabat & sententiam proferebat L. 18. §. 1-2. ff. de Minor. Insigniter falluntur, qui putant Principem quoque in Auditorio sententiam

tiam dixisse, ibi enim non tam judicem egisse, quam
juris conditorem nota res est; unde quidem judicasse
refertur, sed per decretum.

CAP. IV.

DE HÆREDVM INSTI-
TVTIONE.

HÆREDES INSTITVENDI. Dum explicat Pomponius latissimam potestatem testandi LL. XII. Tab. tributam, primo loco ponit hæredis institutionem, quæ in testamento fieri debet. Quamquam sub Regibus & ante Decemyiros Romæ & in reliqua Italia hæredes non nisi testamentis instituerentur *Liv. Lib. I. c. 34. Plutarchus in vita Romuli*, tamen rectius dicitur eam ex LL. XII. Tab. manasse, cum regibus exactis, eorum quoque Leges, referente Pomponio in L. 2. §. 3. de O. J. & instituta simul exoleverint. Magna hac L. XII. Tab. in hæredibus instituendis tributa erat libertas, adeo ut non tantum hæredes instituere, sed & substituere liceret & ut feminæ heredes institui possent, quia Decemviri dixerant legis instar esse, quidquid disposituerit testator. Verum hæc libertas coangustata est Legis Voconiae auctoritate, quæ prohibuit feminas hæredes esse vid. Flori Epitom. XLI. quamvis unica faret filia Teste *Augustino de civitate Dei Lib. III. c. 21.* Tulit hanc legem Q. Voconius Saxa, Tribunus plebis, Q. Marcio

Marcio Philippo & Cn. Servilio Cæpione Coss. A. V.
C. I) LXXXIV, ita: QVI. POST. A. POSTVM
MIVM. Q. FVLFIVM. CENSORES. CEN-
SVS. ESSET. NE. HEREDEM. VIRGINEM.
NEVE. MVLIEREM. FACERET.

*Cic. in Verr.
Lib. 1. c. 42. Dion Cassius Histor. Lib. LXVI.* Non conve-
niunt inter se eruditii de Legis hujus auctore, alii Q. Vo-
conium, alii C. Voconium dici volunt, propter locum
Ciceronis in pretura urban. ubi inquit: Voconia Lex
Te videlicet delectabat; imitatus esses ipsum illum C.
Voconium, qui Lege sua hereditatem ademit &c. Equi-
dem nullus video, cur circa nomen tam pertinaciter hæ-
reant, nam novum non est in Codicibus, C. inveniri
pro Q. cum notante Isidoro Lib. I. Orig. c. 26. magna sit
cognatio inter literas C. & Q. *Ipsæ Quintilianus Lib. 1.
c. 13.* testatur se puer vocem, quoī, usurpatam pro cui
add. *Plin. Lib. XVIII. c. 19. Viruv. Lib. VI. de Archiect. c. 3.*
in Pandectis etiam Florentinis frequentissima ejus gene-
ris sunt exempla: ut coeppe, pro quippe, inicum, pro
iniquum L. 15. ff. ad Exhibend. *Forner. Rer. Quotid. Lib. i. c. 13.*
Ex his adparet locum Ciceronis paulo ante allegatum
mendosum & corruptum esse, cum ille ipse, quod ma-
gis rei fidem facit, Voconium adpellet Q. c. 8. pro Balbo.
Multa fuerunt ejus Legis capita, quæ data opera expli-
carunt Perizonius & Voorda ad L. Falc. Verum hæc
Lex utilissima licet, sensim oblitterata est opulentia civi-
tatis, uti S. Cæcilius testatur, qui Hadriani tempore
vixit, fuit enim æqualis Gellio, id ipsum testanti *Lib. XX.*

QUDAM

NOL.

No⁷. Attic. c. i. Coangustata quoque fuit ea heredes instituendi libertas per legem Julianam & Papiam, ita, ut conjux conjugem non nisi in sola decima heredem instituere posset vid. Cl. Heinecius ad L. Jul. & Pap. Lib. II. c. 15 §. 2. Similimodo, non per legem Julianam Velleam, ut Vlpianus habet, Tit. 22. §. 19. Et Antonius Augustinus de LL. & S. Conf. sibi vult, sed potius per legem Juniam Vellejam, ut in L. 10. §. 10. ff. de testament. tut. & in inscriptione Tit. I. Lib. XVI. ff. reperitur, immensa illa heredis instituendi potestas coarctata fuit, nam secundo capite, quod solum hinc spectat, cautum fuit: SI. QVIS. EX. SVIS. HEREDIBVS. SVVS. HERES. ESSE. DESIERIT. LIBERI. EJVS. qui sunt in potestate testatoris. IN. LOCVM. SVORVM. SVI. HEREDES. SVCCEDVNTO, neque rumpunto tamen testamentum parentis quasi agnascendo, dum sint eo vel instituti heredes, vel exhereditati L. 29. §. 14. & 15. L. 13. ff. de Injust. Rup. & Irrit. fact. Testam. E re apud Romanos erat ejusmodi ferri legem, ne scil. sine testamento periculo avus nepotes silentio praterire, nec tuto, ut veller, testari posset; non certe hunc in modum: *heres effo filius si quid ei me vivo contigerit, Titius heres effo.* Semper incerta fuissent sine hac lege supra dicta & ultimae morientium Tabulae, nam posthumus heres institui non poterat, cum iis enim tanquam incertis personis, nulla erat testamento factio secundum prudentium interpretationem. §. 26. Inst. Tit. de Legat. Vlpianus Tit. 22. §. 3. nec Obst. §. 28. Inst. de Legat. nam ibi imperator libertatem testandi L. XII. Tab. indultam, sed Juris Consult. interpretatione coangustatam, iterum revocauit, pariter ac in §. 5. Inst. de Ex hered. Liberor: & §. 3. de legit. Agnat. Succell. Non legibus tantum, sed interpretatione etiam prudentum, libera illa heredes instituendi facultas limitibus suis inclusa

est. Secundum LL. XII. Tabul. nihil intererat, utrum hæres in prima aut ima scriberetur vera; verum diminuta est fori disputatione hæcce libertas, obtinerat enim hæreditis institutionem in testamento caput & fundamentum esse. Inutiliter disponebatur ante eam *Plinii Lib. XVIII.* c. 3. quod aperte destatur *Ambrosius* 2. de *Abrab.* testamentum prius heredem ferre, postea legatum exprimere & cum eo *Justinianus* in §. 34. Instit. de Legat. Extra testamentum erat, secundum *Juris Consulorum sententias*, quod ante hereditis institutionem relinquebatur *Vlpianus Tit. XXIV.* 15. & *Paulus Lib. II.* sententiarum receptarum Tit. VI. §. 2. ex quo inculenter adparet, hancce quæstionem fori disputatione esse finitam, nam vel pro letario in jurisprudentia notum est, Paulum in libris suis plerumque tractasse regulas a *Juris Consulito* definitas ideoque eos Receptarum Sententiarum Titulo inscripsisse vid. *Apulejus in Apol. L. 1.* de Hæred. Instit. L. ult. de jur. Codicill. Scribebantur apud Romanos hærides plerumque secundo versu, ut *Horatius* testatur *Satyr. V. Lib. II. sermon.* ideo, quia testatores præfationem premittere solebant, cuius exempla vide in L. 88. §. ult. de Legat. 2. L. ult. de Hæred. instit. *Suetonius in Tiber. c. 23.* L. 30. §. ult. de admin. Legat. & in ima cera scribebantur legata, tutela & adoptiones: uti yetus commentat. ad all. loc. Horat. refert vid. *Suetonius in Cesar. c. 83.* *Lipsius* 1. *Eleft. c. 20.* *Mercer. Lib. I. Opin. c. 10.* Verum *Justinianus* hoc immutavit, & ea quoque valere jussit, quæ ante hæreditis institutionem disposita fuerint vid. §. 34. Instit. de Legat. Forsan ibi respicit ad *Papiniarium* in L. 77. §. 12. ff. de Legat. 2. *Plin. Lib. IV. Epistol. 10. Lib. V. Epist. 7* dum inquit. & ipsi antiquitati vituperandum suisse vijsum ordinem scripture sequi. Eadem L. XII. Tab. patrifamilias licebat, liberos in testamento impune præterire; rationem reddit ea de re *Juris Consulito*

in L. 2. ff. de liber. & Posth. quia & occidere eos extra tabulas publicas positum esset. Heredem instituere poterant, quem vellent, aut fortuitus casus obtulerat. Sed limites posuerunt effrenæ huic licentia prudentes, dum excogitarunt remedium quarelae inofficioi testamenti, quo præterito aut inique exhaeredato succurrebatur. Valde incivile & ab æquitate remotum iis videbatur, filium, stipendiis peractis, domum reverti eamque clausam invenire avitisque laribus eum carere, qui bona, vitam pro salute & conservatione patriæ in discrimen belli adduxerat, tortue vulnera & cicatrices accepert. Indigna sane res erat; sed LL. XII. Tab. permissa. Iis enim suis haeredibus non deferebatur hereditas quin potius ob generalia legis verba adimebatur. Hinc sapienter querelæ deferebantur, qui causas narrante Valerio Max. Lib. VII. c. 7. prout æquius melius visum, terminarunt, quod deinceps propter frequentes querelas Juris Consultorum responsis confirmatum, in morem & jus non scriptum migravit: hoc portissimum colore, qualiter testator non sane mentis fuerit L. 2. §. 5. L. 13. 17. §. 1. 19. ff. de Inoff. Testam. Vnde ejusmodi testamentum, tanquam furiosi judicium, damnat L. 19. d. Tit. & Aebutiae Tabulas Testamenti plenas furoris dixit Valerius M. Lib. VII. c. 8. Cujacius quidem originem hujusce querelæ ex Lege aliqua Glicia derivare vult propter inscriptionem L. 4. de Inoff. Testam. sed, ut ingenue fatetur, ejusmodi Lex plane mihi ignota est, ne dicam inscriptionem, ad quam provocat Cujacius, in quibusdam edit. non semper esse eandem vid. Ampl. Byngersh. Lib. II. Observ. c. 2. Præterea quid legi opus est fictione? siquidem ea tunc demum adhibetur, cum quid contra verba Legis introducitur, uti hic, nam LL. XII. Tab. talis potestas & quidem immensa parentibus data erat, ita ut liberos impure exhaeredare & præterire potuerint.

tuerint, nullo remedio proposito. Necessarie igitur erant Jutis Consulorum partes, ne liberi, domus avi-
tas, domesticos penates aliaque bona, in alienam trans-
ferriri familiam videre cogerentur. Juris Consulti igitur,
perpetuis commoti querelis, aliam Legem XII. Tab.
que furioso testamenti factionem interdit, in auxi-
lium mmebant, fingentes deinde, quasi defunctus non
sanæ mentis fuerit *Quintil. Lib. VII. Inſtit. Orat.* Eodem
infirmo nititur fundamento sententia eorum, qui que-
relam hancce constitutionibus Imperatorum deberi vo-
lunt, siquidem ante Imperatorum tempora jam fuit co-
gnita: ita *Valerius M. Lib. all. refert*, ad *Calpurnium Pi-*
sonem querelam delatam esse, qui *Prætūram gesit A.*
V. C. I C. LXXXII. Miretur quis, *Prætorem hic no-*
minari, cum tamen constet, causas testamentarias ade-
que & querelam inofficioſi testamenti ad Centumvir-
ale judicium spectasse *Quintil. Lib. VII. Inſtit. Orat. c. 4.*
eaque, ut & hereditatis peritio centumvirale judicium
adpelletur L. 13. d. *Inoff. Test. L. 30. de Liberat. Legat.*
L. ult. C. de Hæredit. Petit. sed ideo *Prætoris hic fit*
mentio, quod *Prætor urbanus judiciis centumviralibus*
præfuit, *Cie. Lib. I. de Orat. Plinius Lib. V. Epist. 1. Lib. VI.*
Epist. 33. Paulus librum scriptit singularem de *Inoff. Te-*
ftam. unde defumta sunt L. 18, L. 23, L. 32, de *Inoff. Te-*
ftam. idem in libro quoque de centumviralibus judi-
ciis, eandem querelam tractavit L. 7. 28. 31. de *Inoff. Te-*
ft. Hic monendum puto, legum harum inscriptio-
nies esse mendosæ & pro Septemviralibus legendum esse
centumviralibus Noodi in ff. p. 156. Errorēm ortum cre-
do, ex affinitate duetuum C. & S. v. g. S. Viralibus pro
C. Viralibus. Fallitur itaque *Muretus in Not. ad Tit. In-*
ſtit. de Inoff. Test. ubi dicit, septem ex Centumviris elec-
tos esse, qui de inofficioſo cognoverint. Mitior vox
erat, queri liberos tantum de testamento paterno,
quam

quam ut posterior ætas attulit, accusare testamentum paternum. Per querelam inofficiori testamenti enim non dicebant nullum esse testamentum, sed tantum inofficium, quasi contra parentum officium factum cum quasi lex tacita parentum hæreditatem liberis addicat, velut ad debitam successionem eos vocatione, prout dicitur in L. 7. de Bonis Damnat. L. 7. §. ult. si tabula testam. ext. Hocce remedio querelæ inofficiosi testamenti insigniter coarctabatur magna illa & tam late patens LL. XII. Tab. tributa hæredes instituendi libertas, nec paterna voluntati aut dispositioni relictum erat, utrum filium hæredem in testamento scribere, an silentio præterire vellet. Siquidem aut nominatum secundum regulas juris ex hæredandus erat aut instituendus L. 30. ff. de Lib. & Posth. L. 25. cod. L. penult. §. videamus de Bonor. Poss. contr. Tab. L. 6. §. si Institutus ad L. Cornel. de Falsis L. 3. de Injust. Rupt. & irrit. L. 1. de Hæred. Instit. L. 2. C. de Lib. præterit. L. ult. C. de Bonor. Poss. contr. Tab. alias testamentum ipso jure nullum erat *Cajus Lib. II. Instit. Tit. 3.* pr. d. L. 30. L. 17. de Injust. Rupt. *Vlpianus Tit. 22.* nisi filius, patri superstes, a bonis paternis se abstinerit, tunc enim benigna interpretatione receptum fuit, ut ejusmodi ultima Elogia & supremæ morientium Tabula vim quandam haberent. L. 17. de Injust. Rupto. Nov. 115 *Plinius Lib. V. Epist. 1.* Hæc de querela inofficiosi testamenti dixisse sufficient, plura inpræfenti de spinosa hæc & nimis involuta materia nihil amplius profere volui, partim quod hanc materiam non mihi sumserim data opera tractandam, partim quod alii majorum gentium JCTi eam satis ex tenebris iam in lucem protraxerint vid. *Schultingii Exercitatio ad Lib. VII Valer. M. Vandewater. Lib. I Observ. II. Bynkersh. Lib. V Observ. 5.* Similiter interpretatione prudentum accepto ferendum

puto, quod incerta persona hæres institui, multo miseras
ei legari posse, veluti si quis diceret: *quis quis primus ad
funus meum venerit hæres esto* Vlpian. Tit. XXII. §. 4.

CAP. V. DE LEGATIS.

ET LEGATA. Scilicet dandi. Vaga & infinita prope
legandi erat libertas, ita, ut totam hæreditatem
legatis exhauire possent, nec quicquam hæredi
scripto reliquum esset, unde efficiebatur, ut sèpius, cef-
fante spe lucri, hæreditates non aditæ ab heredibus ja-
cerent fiscoque cederent. Obviam igitur ibant Romani
huic licentiæ Legi Fusia, qua coaugustata est effusa illa
legandi potestas. Ea enim cautum erat, ne cui plus
quam mille numimos legare liceret *Theophl. pr. Insit. de
Leg. Falerid: Vlpianus Tit. I. §. 12* Quoniam vero lente VI-
piano loco cit. hæc lex dupliciter minus quam perfecta
erat, primo, quia legatum, quamvis amplissimum, non
rescindebat; per soluta mulcta ratum erat: secundo,
quia ea lege nihil laatum erat de multitudine legatorum,
sed tantum de eorum magnitudine, hinc eveniebat ite-
rum, ut hæreditates salva hac lege exhauirerentur legatis.
Ideo nouo morbo novum parandum erat remedium,
nam ut plerumque fieri solet, ut lege noviter lata nova
quoque hominum fraus eam evertendit in procinctu,
hac de re supra memoratus *Q. Voconius Saxa legem
tulit, NEQVIS PLVS LEGARET CVIQVM QVAM
ADHEREDEM HÆREDESQUE PERVENIRET Cic. in
Ver. Lib. I. c. 42. & 43. Theopil. Pr. Insit. de Leg. Falcid.
Dion. Cassius Hisfor. Lib. VI.* Verum hæc Lex iterum im-
potens erat contra ingeniosam hominum improbitatem.
*Impedimento enim non erat, quo minus quis minutis
legatis*

legatis totam fere hæreditatem exaurire posset legando,
 e. g. testator, qui in bonis habebat centum, legabat
 nonaginta novem singulos nummos, ita ad hæredem
 parum perveniebat. Hinc non immerito is aversabatur
 onera cum hereditate connexa pro tam exiguo lucro;
 quo factum, ut ultima hominum judicia irrita essent &
 hereditates non aditæ jacerent *Theophil. Pr. Inst. de Leg.*
Falcid. Alia igitur Lex necessaria erat, quæ testatorum
 libidini fines poneret. Tulit legem P. Falcidius A. V.
 C. I^o CC XVI. Cn. Domitio Calvino & C. Affinio
 Polione Coss. Dion Cass. Histor. Lib. 48. qua tandem
 arctis limitibus legandi libertatem inclusit. In primis
 autem illud cautum fuit tertio capite, quod quidem in
 L. 1. ff. ad L. Falcid. non extat, sed Cajus Lib. II. Inst.
 Tit. 6. posteritati servavit, ita autem sese habet: *Lege*
Falcidia constitutum est, quicunque heres fuerit institutus, quar-
tan partem totius hæreditatis habeat, quod si testator hæredi-
tatem suam legatis exinanterit, hoc statutum est, ut Falcidiā
sibi de imminutione legatorum heres reineat, constante nibilo-
minus testamento. Dicitur hic esse statutum, ergo per
 interpretationem introductum non est nam in præce-
 dente oratione Legis Falcidiae aperte fit mentio. Ut
 clorior evadat haec sententia, apponam L. 73. §. ult.
 ff. ad L. Falcid. ubi dicitur, quod si excesserit quis do-
 trantem, pro rata portione per Legem ipso jure (lega-
 ta) minuuntur. Patet ex hisce duobus locis hæredi-
 quartæ retentionem concedi, quod neque in primo ne-
 que in secundo capite factum fuerat L. 1. ad L. Falcid.
 Haec Lex Falcidia potissimum effecit, ut judicia mo-
 rientium supra maxima neque irrita, neque tantis periculis
 exposita essent. Mentio ejus capituli, de quo locuti fu-
 mus, fit apud Gruter. c. o. c. n. 6.

L. SEPTIMIO

LIBERALI.

VI. VIR. AVG.

VI.

VICANI. VICI. GERMALI. OB. MERITA. EJVS.
 QVOT. DECVRION. ET. VICANIS. VICORVM.
 VII. SIGN. IN. ANNOS, X. III. IN. PERPET.
 REDD. ET. IN. EAM. REM. FVNDOS. XXI.
 OBLIGARI. JVSSIT. QVORVM. PARTEM. VI.
 LEGIS. FALC. NOMIN. DEDVCTAM. AB. TV.
 TORIBVS. SEPTIMIÆ. PRISCÆ. MATRIS. SVÆ.
 LEPIDIA. SEPTIMINA. POPVLO. CONCESSIT.
 Non minus per interpretationem prudentum quædam
 acceſſerunt, quibus effusa legandi libertas conanguſtata
 fuit: Ita ſecundum latifimam LL. XII. Tab. potestatem
 etiam incertis personis legari poterat, quoniam vero ſe-
 cundum regulas jurisprudentium consilium teſtantis cer-
 tum eſſe debet *Vlpian. Tit. 22. §. 4.* ideo nec incertus hæ-
 res scribi, nec tutor incertus teſtamento dari, nec ser-
 vus aliter quam nominatim manumitti, nec incertæ
 personæ legari potuit. Sed cum jam retro Senatus Con-
 ſultis & Constitutionibus Principum indultum fuerit, ut
 incerta persona legari poſſit, Justinianus plenius hoc-
 ce emandavit & facultatem legandi LL. XII. Tab. con-
 cefſam revocavit §. 27. Institut. de Legatis L. 61. §. 1.
 de Hæred. Instit. L. 3. §. 7. de Adim. vel Transf. Hæ-
 red. Alia exempla, quibus per interpretationem pru-
 dentum Leg. XII. Tab. coanguſtata fuerit, videri poſ-
 ſunt in §. 35. 36. Institut. de Legat.

CAP. VI. DE POTESTATE MANV- MITTENDI EX LL. XII. TAB.

ET LIBERTATES DANDI. Quam prodigi fuerint
 Romani, in dandis libertatibus, nemo ignorat, niſi
 qui perpetuum bonis literis indixit bellum. Mox ca-
 piebat

piebat homines e rebus humanis abituros superbia, mox
nimia liberalitas, mox vero nefaria ingenia, ne quid
decesset malitia, in fraudem creditorum libertates effu-
sus erogabant. Multi magnificentum putabant, post fata
mortalitatis ingentem funeralis pompam, magno, qui
præcederent, pileatorum comitatu stipatam, habere, de
quo Martialis Lib. 8. 47.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver

Accipit infelix qualia mille rogos.

Infinitas hunc in finem testamento dabant libertates,
Petrus Chrysologus Serm. 121. funus divitis antecedit lugubris
turba servorum L. 1. §. 5. C. de Lat. Libert. Follend.
Manumitterebant interdum in Testamento omnes servos,
ut post mortem boni audirent, & multi lectulos eorum
ferales proferuerent pileati. *Dionysius Halicarnass. quam*
gratissimi enim esse volebant in eo cardine positi, ubi
vitam finire necesse erat Senec. Lib. IV. c. 24. de Be-
nefic. Proficiscicebatur hæcce potestas a verbis LL. XII.
Tab. PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FA-
MILIÆ &c. his enim permisum erat, vel omnibus ser-
vis in testamento libertatem dare. Quo factum, ut fæ-
pius in frumenti creditorum servi manumitterentur, nec
esseret, de quo ipsis satisficeret. Ideo lata est Lex Fusia
A. V. c. 10 cc. LI. quæ certum numerum servorum
manumittendorum præscripsit, veluti ut ex tribus, non
plures, quam duos & usque ad decem dimidiam par-
tem manumittere liceret *Vlpianus Tit. 1. §. 2. Paulus Lib.*
IV. c. 14. Cajus Lib. 1. Inst. Tit. 4. Quare Tacitus Imper-
ator ne Caniniam transire videtur, non ultra cen-
tum manumisit. *Vopiscus in ejus vita c. 11. cautum*
præterea hac lege erat, ut nominatim servis in testamen-
to libertas darentur *Vlpianus loocit. & Paulus Lib. I. c. 2.*
& si quis plures quam lege permisum erat, manumife-
rit, ordo scripturæ servetur. Verum hanc Legem su-
G stulit

stulit Imperator Justinianus Tit. C. de L. Fusia Canin. Tol-
lend. Multum quoque huic libertates dandi in testamen-
to potestati per interpretationem prudentum derogatum
est nam si in circulo, ut qui prior, qui posterior no-
minatus agnoscere non possit, nulli ex his libertatem valere
Juris Consultorum disputationi adscribendum puto, cum
nullum in lege Fusia Caninia ea de re extet vestigium
*Cajus Lib. i. Iust. Tit. 2. §. 2. vid. Ausonius in Lud. septem sa-
pientum Plutarchus question Roman. Seneca de Benef. Lib. V.
c. 3.* Plura de interpretatione, in quantum ea faculta-
tem libertates in testamento dandi coangustaverit, vide
in Tit. ff. de Manumiss. Testam.

CAP. VII.

DE TUTELA TESTA-
MENTARIA.

TUTELAS QVOQVE CONSTIVVENDI. Restat
nunc, ut videamus quoque, quanta LL. XII.
Tab. in tutelis constitutis data fuerit libertas,
quæ quidem hac in re non fuit minor, quam in aliis ca-
pitibus. Nam LL. XII. Tab. puberi quoque tutor dari
poterat, propter verba PATER FAMILIAS VTI LE-
GASSIT SVPER TUTELÆ REI SYÆ, nullum enim eo
tempore erat discrimin inter tutelam impuberum & cu-
ram minorum XXV. annis, & eo forte respexit Papi-
lianus in L. 6. de Tutor. Confr. Liberum erat cuique
tutorem dare, quem vellet, etiam Prætorem, Procon-
sulem, quia L. XII. Tab. id confirmabat, ut dicitur in
L. 20. §. 1. de Testam. Tutel. etiam filiumfamilias,
quoniam hic in re licet domestica personam non ha-
buerit, in causis tamen & muneribus publicis pro parte
familiæ

familias habebatur L. ff. de His Qui sui L. 14. ff. ad S. Conf. Trebell. *Gellius Lib. II. c. 2.* servum pr. & §. 1. Instit. Qui Test. Tut. dar. L. 10. in fin. L. 32. §. ult. ff. de Testam. Tutel. L. penult. C. de Receff. serv. furiosum L. 16. §. 3. de Testam. Tut. L. 39. §. 1. L. 46. de Judic. Permissum quoque fuit LL. XII. Tab. ut tutorem quis dare potuerit a certo tempore ad certum tempus L. 8. §. 2. d. Tit. §. 3. Instit. Qui Testam. Tutor. etiam ante heredis institutionem d. §. 3. Inst. L. 7. ff. de Testam. Tut. Verum coangustata est hæcce potestas Legum auctoritate, ita Lege Junia prohibetur tutor esse Latinus Junanus *Vlpianus Tit. II. §. 16.* feminae L. ult. ff. de Tutel. est enim hoc munus virile L. 16. ff. eod. Deinde certus quoque tutor dari debet in testamento §. 23. 27. Instit. de legat. L. 20. 30. de Testam. Tut. *Vlpianus Tit. II. §. 14.* quod tamen LL. XII. Tab. aliter sepe habebat. Similiter interpretatione prudentum coarctata est memorata illa tutelas constituendi potestas, nemo enim potest tutorem dare cuiquam, nisi puberi *Vlpianus Tit. XI. §. 28.* nec tutor potest dari, nisi qui habeat testamenti factionem L. 21. ff. de Testam. Tut. Fuit & alia ratio coercendæ legis amplitudini quam observat Marciarus L. 112. §. 3. ff. de legat. i. si quis, inquiens, scriperit testamento fieri quod contra jus est vel bonos mores: non valet: veluti si quis scriperit contra leges aliquid vel contra Edictum Prætoris, vel etiam turpe aliquid. Hæc sunt quæ circa Legem XII. Tab. in mentem mihi venerunt. Plura addidisse, nisi temporis angustiae legem mihi dixissent. Peto igitur a Te Humane Lector ut peccata, quæ magna multaque esse ingue fateor, non ex formula, sed ex æquo & bono inter- preteris.

F I N I S.

COROL-

COROLLARIA.

In L. 18. ff. de Pan: non intelligitur per cogitationem nuda interna animi operatio.

II.

Nihil mutandum est in L. 7. ff. de Capit. Minut.

III.

Non opus est emendatione in L. 34. ff. de Jurejur.

IV.

Pandectæ sexu masculino efferti debent.

V.

Secundum jus civile pater & filius non sunt una persona,

VI.

Servitus altius tollendi juri Civili non in eo consenserit, ut vicinum jure servitutis cogere possim, ut altius tollat aedes suas.

VII.

Nulla est pugna inter l. 36. ff. de Aquir. | Rer. Dom. & l. 18. ff. de Reb. Cred.

VIII.

Mos obtorto collo in jus rapiendi Pandectarum jure ad-
buc obstinuit.

IX.

Perperam adscribitur Constantino origo pæne capitalis
in adulterio.

X.

Eratribus aut Sororibus germanis competit querela inof-
ficiosa testamenti, sive turpis, sive alia quacunque honesta perso-
na bares fuerit scripta.

XI.

In negotiorum gestione ordinarie culpa levissima est pra-
stantia.

XII.

Condicio, si dixit calum attigeris, apud autores non
habetur pro impossibili.


¶ (o) §


ULB Halle
005 304 989

3



vDn8





1236, 13
20

DISSERTATIO JVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
**GENVINO SENSU
LEGIS CXX. DE
VERB. SIGN.**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
VILHELMO HENRICO
VCCE SAXONIÆ JVLIA CIIVIÆ MONTIVM ANGARIAE
WESTPHALIAE &c. COMITE SAYNAE ET
WITGENSTEINII RELIQUA
P R A E S I D E
JO. FRIDER. HERTELIO
ANTECESSORE SALANO
CVRIÆ PROVINCIALIS FACULTATIS JVRIDICÆ ET
SCABINATVS ADSESSORE ORDINARIO
PRO GRADV DOCTORATVS
MMISQUE IN VTROQVE JVRE HONORIBVS ET PRI-
VILEGIIS RITE CONSEQUENDIS
ERUDITORVM EXAMINI SUBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
D. CAROLVS LANGGVTHIVS
HILPERH. FRANCVS
AD DIEM XXVIII. MARTII CIOIO CCXXXVI.
HORA LOCOQVE CONSVENTO.
JENÆ, LITTERIS BVCHIANIS.